



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Dictamina Seu Scita Variæ Doctrinæ, Politicæ, Moralis,
Stoicæ, Christianæ, & Spiritualis**

Nieremberg, Juan Eusebio

Paderbornæ, 1711

Decas I.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50306](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50306)

Dictamina Moralia.

DECAS I.

IN hoc creavit nos Deus, ut beati simus, **I**ac sumus eheu! tam infelices, ut beatitudinem nostram vel non cognoscamus, vel non æstimemus. Verumtamen qui ignorat terminum, quomodo signaturus est viam? Erramus sinè proposito, & quò feramur, nescimus. Beatitudo non est alienum bonum, sed proprium. Ut quid aliunde accersimus, quod domi nostræ nascitur? Intrà nos est, quo beati simus; cur ab aliis mutuemus?

2. Vera beatitudo aut virtus est, aut nusquam sinè illa; ad minus instrumentum est vitæ, si non beatæ. Beatitudo non potest esse absq; bono: quod autem aliud bonum majus, quàm bonum esse? si possessio boni appetibilis est, quid erit reipsâ bonum esse?

3. Virtus sibi ad felicitatem sufficit, neque ullâ re opus habet: est sui ipsius pretium & præmium. Tam amabilis ejus bonitas est etiam perversis, ut in ipsis vitiis imaginem illius colant, quantumvis falsam

fam

sam, appetentes scilicet, quod melius est.

4. Hac Bonum prærogativâ gaudet, ut factum propter seipsum nihil amittat de bonitate sua; malum autem licet obtentu boni fiat, non redditur indè bonum, sed retinet malitiam etiam sub ipsa specie boni quæsitam.

5. Facile imitabilis est virtus: ejus sycophantam vitium agit, larvatum eadem specie: neque semper utriusque actiones distinxeris: intentio sola discernit.

6. Magnum quid virtus sit necesse est; siquidem eâ solâ magni reddimur. Neque enim uti Zeno ait, qui magnus, idem quoque virtuosus, sed qui virtuosus, ille reipsâ magnus est. Semper virtuti fortuna concessit: nam qui ejus causâ occumbit, non moritur, sed perennat.

7. Supra hominem est, qui ex virtute operatur, infra hominem, qui ex vitio. Non solum convenientiâ urbanitatis cogimur esse virtuosus, sed & necessitate: nè scilicet, quàm nascimur, pejores simus. Irrationali namque pejor est, qui dotatus Ratione fugit, quod illa dictârit.

8. Illud duntaxat bonum reputes, unde

de

de bonus reddaris. Tametsi dignitate super omnes emineas, si vel supremo in orbem polleas dominatu, sis licet sapientior omnibus, corporis animique dotibus excellas; nemo te tamen, si virtus absit, bonum appellârit. At verò desint hæc omnia, non desit virtus, nemo tibi boni appellationem sustulerit. Talis est ad præcellentiam titulus bonitatis.

9. Divitiæ fallunt, honores evanescent, fortuna præcipitat. Anne, quod te bonum non facit, faciet fortasse pessimum, bonum dixeris? Non est bonum, quod bonos non facit. Virtus nemini officit: omnibus prodest, & absque alterius adminiculo se solâ proderit tibi, plus quàm cætera omnia.

10. Quidam Philosophorum virtutem definiunt esse, unde, & per quam omne bonum derivatur. Habet illa aquæ ductus suos, per quos dimanat ad nos omnis felicitas vitæ hujus, & beatitudo alterius. Undique prodest, æquè corpori ac animæ, tam in hac vita, quàm in altera.

DECAS II.

II. Omne vitium omni studio devita;
neque